



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XXXV. Sagæ
quatuor cum suis dæmonibus ex Panormitano Collegio S. Ignatij aspectu
fugantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

ulterius non valens, in publicam viam se abiicit, unde illam casu præteriens rusticus, sublatam in carrum, Monachium vehit, & pro templi nostri foribus deponit. Ingressa tunc quidem sat habuit se sancto sistere, & aliquid olei quod ei ardebat in lampade petere, quo mortuum pedem inungeret. Die postero reuersa, ritèque confessà, rei sacræ adest, sub cuius exitum, probare placuit, num suus pedi vsus rediisset; duarum igitur quæ simul aderant manibus in pedes erecta, vsque adedò valuit, vt omisso subalari fulcro ad sacram Eucharistiam procefferit sola, suumque se bellè ac integrè sana, in pagum retulerit.

Regebat Panormi Collegium anno 1574. Paulus Achilles magnis vir dotibus, & sanctimonia; isque tum per se eximie, tum per suos, conuersioni animarum magnis progressibus incunbebat. Hæc damna rei suæ inferri pati non potuit Dei animarumque hostis, vindictam adornauit qua nulla poterat detestabilior. Sagas quatuor meretrices instigat, vt se concordia nequitia, suo quæque ab dæmone intra Collegium importandas curent, omnesque flagitiorum artes expediant ad labefactandum alicuius pudorem. Noctè igitur quadam in Collegij aream simul inferuntur; inde in summos gradus quæ porticum aditus ad cubicula inducit. Illic occulta vi defiguntur, repellente magno impetu infames furias, quoties progredi conarentur; exstimulabant illæ pegafos suos amenti rabie, videbanturque illi ad perfringenda obstacula conniti; verum, vt olim prophetam belluinum, sua docuit asina; sic scelerosas veneficas, vectores sui capri docuerunt, majori se potentia retro agi, quam nec vngue transuerso valerent transilire, si vel vna quæque sexcentis dæmonibus potentissimis insideret. Ita derisi spretique paredri suas in prostibula amicas reportarunt. Sed earum vnã vt forma, sic turpitudine & impudentia cæteris præcellentem, indignatio incessit tentati frustra apud nos facinoris, cui nullum alibi impedimentum eiusmodi obstitisset: integratura nefarium crimen, sacrilegis apud nostros confessionibus, molitur cum iis falsa pietate, amicitias in scelus faciles, vt cum denuo in Collegium referretur, clandestinum illic receptorem in promptu offenderet. Verum ne hac quidem via quicquam egit: Quinobrem eandem iterum aleam quatuor furia repetunt, reuehunturque in Collegium ab suis dæmonibus intempesta nocte, penetraturæ se in cubicula si possent. Vix intra septa peruenerant, cum S. Ignatij occursum veluti fulguris, luce terribili splendentis, impurissimum choragium dissipatur, nec voce opus, nec manu fuit ad indicendam fugam dæmonibus: primo Ignatij adspectu exire præcipitant, & suas secum asportant veneficas. Harum postea vna ad frugem reducta, rem, vt à me narrata est referebat, confirmabaturque distincta minutim eorum recensione quæ in Collegij atrio, & scalis viderat.

Admissus est Hispali adiutor laicus in Societatem, vt vero solet bonum absens queri ardentius, quam partum seruari, sensim intepuit prima illa in Deum pietas, vt necesse fuerit iuuenem ultra legitimum biennium probare, priusquam

XXXV.

Saga quatuor cum suis dæmonibus ex Panormitano Collegio S. Ignatij aspectu fugantur.

XXXVI.

Lethale vulnus adiutoris egressi ex Societate repente sanantur.